



JActuram fecimus haut levem, cum nudius sextus Ottone Menckenio, SS. Theologiae Licentiate, Professore Moralium Publico celeberrimo, Decemviro, Collegii Majoris Principum Collegiato, & hoc tempore Praeposito meritissimo orbaremur. Superaverat fere annum scalarem magnum, corpus habens morbi assultu aliquando tentatum, non fractum, mentem validam ad gerendum munera, ut in posterum quoque de Academia, & omni re literaria, in modum egregium atque praeclearissime potuisset mereri. Dolet itaque merito Academia, amisso Collega amantissimo, magno Ordinis sui ornamento. Dolebit Orbis eruditus, ut resciverit, Actis Eruditorum deesse Directorem doctissimum prudentissimumque. Nos quibus triste officium incumbit hanc mortem publice intimandi, Acta Vitae ab eo transactae scribemus, ut non minus defuncto Viro suum, quem meritis est, honorem tribuamus, quam dolorem nostrum metumque damni rei literariae eventuri minuamus. Natus est die XXII Martii, An. c15 Ioc XLIV Oldenburgi, Patre Joh. Mencke, Senatore & Mercatore, Matre Anna Sophia Spiesmacheria. Avus paternus fuit Otto Mencke, Civis & Mercator, Avia Gesche Hanffmannia; Proavus Helmrich Mencke, Mercator & Civis, Avus maternus Luder Spiesmacher, Consul Oldenburgensis, Avia Elisabetha zur Helle, Proavus Johan. Spiesmacher, Mercator & Civis, ut caeteri, Oldenburgi. Puer sub magisterio Eilardi Foltenii, postea Pastoris Jeverensis, fundamenta pietatis & literarum humaniorum jecit. Anno aetatis decimo septimo de domestica umbra in lucem Gymnasii Bremensis traductum Hipstedius, Wagenfeldius, Konius, Kippingius disciplinis philosophicis imbuerunt. Quibus pro ingenii felicitate haustis, Anno c15 Ioc LXII in hanc Academiam venit, atque a L. Godofredo Schlutero, Professore tunc nostro, in domum & convictum admissus est. Mox alacri animo in sua se spatia addidit sponte, scholasque Theonassii, Franckensteinii, Rappolti, Alberti frequentavit. Primo hoc studiorum in Academia continuatorum anno primum gradum a Facultate Philosophica sibi conferri meruit: alterum Magistri Anno MDCLXIV. accepit, quem etiam digno sibi collatum disputatione publica pro Loco inter Magistros probavit. Post hanc abiit Jenam, in qua hospitem nactus Zeisoldum, Physices Professore, e cathedra Philosophorum thema tuendo, quanto ingenii acumine ac promptitudine polleret, luculenter explicavit. Ob quam causam famigeratissimis Theologis Chemnitio, Gerharo, Musæo, Niemannio magnam de se concitavit spem. Lipsiam regressus Theologis Kromayero & Scherzero adhæsit, & Disputationem primam An. LXV pro Loco in Facultate Philosophica habuit. Deinde Wittebergam se recepit, Calovium celeberrimum audiendi causa. Hanc relinquens Groningam, Franekeram, Ultrajectum, Lugdunum adiit, Belgium confœderatum, & Brabantiam perlustravit, Viros doctissimos ubique salutavit. Abhinc migravit Kilonium, ut Academiae novae solennem inaugurationem spectaret. Jam altera vice ad hanc urbem fortunarum suarum sedem futuram recurrebat, in D. Joh. Olearii convictum se dabat, Studiosos docebat, ipse discebat a Professoribus Theologis; & cum aliquam Jurisprudentiae cognitionem sibi comparare averet, institutione D. Barthol. Leonhardi Schwendendörferi utebatur. Ad hæc de rebus haud vulgaribus publicas Disceptationes instituebat, inter quas altera pro Loco in Facultate Philosophica erat. Itaque An. LXVII a Collegio Philosophico inter Assessores, An. LXVIII in locum defuncti D. Joh. Michaelis, in Collegium Minus Principum cooptatus est, e quo post mortem L. Anton. Güntheri Heshusii, Professoris Publici, An. c15 Ioc. d. XXVII Junii in Collegium Majus transferebatur. An. c15 Ioc LXVIII, cum D. Joh. Bened. Carpzovius Ebraeae Linguae Professionem

nem